

Et Critias mea delicia est et salva, Charine,
pars in amore meo, vita, tibi remanet;
ne metuas, nam me ignis et ignis torreat ut vult:
hasce duas flamas dum potiar patiar.
Hoc modo sim vobis, unus sibi quisque quod ipse est,
hoc mihi vos eritis, quod duo sunt oculi.

Florea serta, meum mel, et haec tibi carmina dono,
carmina dono tibi, serta tuo ingenio,
carmina uti, Critia, lux haec optata canatur,
quae bis septeno vere tibi remeat,
serta autem ut laeto tibi tempore tempora vernent,
aetatis florem floribus ut decores.
Tu mihi des contra pro verno flore tuum ver,
ut nostra exuperes munera muneribus:
pro implexis sertis complexum corpore redde
proque rosis oris savia purpurei.
Quod si animam inspires donaci, iam carmina nostra
cedent victa tuo dulciloquo calamo.

De proverbiis liber II

mutmut non facere audet. 5 (6)